



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. A Catholicis, nec matrimonium, nec certos cibos damnari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

ronem, Iren.
l. 1. cap. 22.
Theodoret.
hæret. fab. l. 7.
Epiphanius.
28 S. Ignat. ad
Philadelph.
VI.

Ierem. 34.
Luc. 7. Greg.
Naz. orat. de
amore pau-
pert.

Ouid. lib. 15.
Metamor.

VII.
1. Tim. 4. 3.

S. Augustin.
lib. 2. retract.
c. 22.
Baron. Anno
Christi 382.

diaboli doctrinam nominavit, iuberetq; abstinere ab animatis. Epiphanius memorat, in eadem infantia fuisse Ebionem, quem S. Ignatius confutavit, & in eo alios fidem conjugalem fugientes, ut vagæ libidinis habeant libertatem.

Damnati sunt hi hæretici merito ab Apostolo, non tamen nos cum illis, qui cælibatum nuptijs affirmamus excellenciorum. Neque enim, si cum Christo, cum Paulo, cum Apostolis, & tota antiquitate, virginitatem laudamus, idcirco vituperamus, cum his hæreticis, nuptias. Sicut neque, si cum Rechabitis, & Ioanne Baptista, ac Apostolis, temporibus certis, a carnis esu abstinemus; illico etiam cum Iudæis præscriptum olim, ad certum tempus, nunc autem abrogatum morem superstitiosè observamus: neque cum præcis illis hæreticis docemus, abstinere à cibis, more Pythagoræ, vel Ægyptiorum, qui novum ciborum delectum inuenerunt; eò quòd Pythagoras doceret, animarum, de hominibus, in bestias, & de bestijs in homines transmigrationem; timeretque, ne sua anima alicubi expelleretur. Hinc, apud Ovidium, ait:

*Heu quantum scelus est, in viscere viscera condi,
Congestq; avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusq; animantem animantis vivere letho!*

Et infra. *Omnia mutantur, nihil interit: errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, eiq; feris humana in corpora transit,
Inq; feras noster, nec tempore deperit ullo.
Ergo, ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite, vaticinor, cognatas cade nefanda
Exturbare animas, ne sanguine sanguis alatur:*

In eiusmodi errore non sumus. Ut ergo non prohibemus, hæc de causa, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum gratiarum actione fidelibus; ita nec prohibemus nubere; sed cælibatui matrimonium postponimus, quod, contra diuinas litteras, Helvidius, & Iovinianus virginitati æquarunt; quorum iste pseudomonachus aliquas etiam sanctimoniales deiecit in nuptias. Vtriusque stilo & argumentis confodit S. Hieronymus, eum Romæ esset. Quare Ecclesia nequaquam statuit legem,